

**1993-06-18 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Inter Apostolicam’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***INTER APOSTOLICAM***

**MEMORIAE PRODITUR SUMMUM PONTIFICEM IOANNEM PAULUM PP. II  
PER APOSTOLICAM VISITATIONEM IN HISPANIA DIE XIV MENSIS IUNII ANNO  
MCMXCIII PRETIOSO DIADEMATE CORONAVISSE IMAGINEM BEATAE  
MARIAE VIRGINIS TITULO «NUESTRA SEÑORA DE LOS MILAGROS», QUAE  
IN FRANCISCALI MONASTERIO «DE LA RÁBIDA» NUNCUPATO PIE COLITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Inter Apostolicam Nostram Visitationem in Hispania hoc anno die XIV huiusce mensis Iunii perquam libenter excipientes preces, quas Venerabilis Frater Raphael González Moralejo, Episcopus Onubensis, litteris die XI mensis Ianuarii anno MCMXCI datis, nomine quoque gregis sui Nobis porrexerat, pretioso diademate benedictione sacro redimiimus gratiosam imaginem Beatae Mariae Virginis titulo «Nuestra Señora de los Milagros» quae in Franciscali monasterio «de la Rábida» nuncupato pie custoditur. Antiquus quidem et peculiaris est cultus, quo fideles loci «Palos de la Frontera», ubi memoratum coenobium exstat, iam sub finem XIV saeculi eandem Virginem prosequuntur tamquam caelitem Patronam suam; constat praeterea illum praefectum classis Christophorum Colombo tribus navibus novum mundum petiturum eius impetrasse auxilium ac postea nonnullos Hispaniae reges necnon haud paucos moderatores Civitatum Americae meridianae istuc advenisse eam veneratum. Nunc vero ut huius sollemnis coronationis memoria in posterum perennis vigeat ac pariter indicetur fidelium voluntas praecelsam Dei Genetricem diligendi ac sequendi utpote solidissimam omnium spem atque ad caelum tutissimam viam, audita antea Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, has Apostolicas Litteras dari iubemus, testes verissimas tam fausti ac felicissimi eventus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iunii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*